



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Bernardus Abb. 20. Aug.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

**B**ERNARDUS est, ille (invidere Mariani) Dei collactaneus, quem mater cum utero ferret, catellum putavit, sed pro Ecclesiâ latraturum. Puer pro puer *Christus* nocte Natalitiâ visus est, nobilius omni die spectaculum. Adolefcens quòd oculum in feminam defixisset, in rigentes aquas infiliit, incendia aquis præventurus. Aliàs cum ejus pudori insidias hospita stueret, *Latrones, latrones* iterum iterumque clamavit, ratus dirissimos prædones esse, qui animum castitate exuerent. Hinc ad Cisterciense Monasterium XXX. secum socios traxit. Hos inter cum fratres omnes *Bernardi* præter Nivardum natu minimum essent, & huic Guido natu maximus inter valedicendum dixisset: *Eia frater, ze mun jam hereditas paterna spectat; supra omnes senes doctè puerulus respondit: Pulchrè verò assem dividitis; vobis cælum habetis, mihi terram reliquam facitis: at hoc fide profectò minimè germanâ.* Mox cum per ætatem licuit, fratres secutus, litem de cælo illis non ingrati fecit. Eruditionem *Bernardi* loquuntur ejus Volumina meros favos spirantia, tum præcipuè cum de melleâ *Virgine* sermo est; ut meritò ex hujus uberibus hausisse hoc nectar credamus. Sed &

20. Aug. VITÆ SANCTORUM. 519  
nobis iidem fontes essent, si eadem cura  
Bernardo sitis esset. *Ex vitâ ejusdem.*

*Mundus transit & concupiscentia ejus,  
& relinquere hac magis expedit, quam re-  
linqui. Sed nec inutilis commutatio, pro eo,  
qui super omnia est, omnia reliquisse. S. Ber-  
nard. sup. illud Eu. Ecce nos.*

S. STEPHANUS REX. 20. Aug.

STEPHANO nomen necdum nato ip-  
se STEPHANUS Protomartyr indi-  
dit. Sponsam duxit Gisela D. Henri-  
ci Imp. sororem. Hæc illi Emericum,  
ceterum Christo omnes Ungaros pepe-  
rit. Tutelam sibi regnoque suo æternam  
*Castroꝝum Acieꝝ ordinatam Virginem  
Matrem* legit. Hujus enim auxilio copias  
Conradi Imp. jam Ungariæ imminen-  
tes avertit. Ipse inter omnes milites ma-  
ximè sanctas Vigiliis nocturnas habuit,  
sed preces inter; visumque sub his ip-  
sum aliquando tabernaculum regium  
Angelis bajulis humo sustolli, & tunc  
per aërem, mox per omnium hominum  
ora volare. Trophæa pietatis suæ tem-  
pla ac cœnobîa per totum orbem spar-  
sit. Miseros ingenti charitate comple-  
xus non dubitavit deademate ornatum  
caput manusque scepro armatas ad ho-  
rum pedes abluendos demittere, sportu-  
lamque in clientes ipse dispensare. Qua-  
re factum aliquando, ut certantibus

Kk 4

his.